Omnes aversi sunt, pariter adhæserunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.
Numquid non cognoverunt qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis : Deum non invocaverunt.
Ibi timuerunt timore ubi non erat timor.
Quoniam Deus dispersit ossa circumdantium te : confunderis quia Deus projecit eos.
Quis dabit ex Sion [1] salutare Israël? quum reduxerit Deus captivitatem populi sui, exsultabit Jacob, lætabitur Israël.

SALMO LIII.

Deus in nomine tuo salva me, et in fortitudine tua ulciscere me.
Deus exaudi orationem meam : auribus percipe verba oris mei.
Quia alieni insurrexerunt adversùm me, et fortes quæsierunt animam meam : non posuerunt Deum in conspectu suo. Semper.
Ecce Deus auxiliator mihi : Dominus sustentans animam meam.
Reddet malum [2] insidiatoribus meis : in veritate tua disperde eos.
Voluntariè sacrificabo tibi : confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum.
Quoniam ex omni tribulatione liberavit me, et inimicos meos vidit oculus meus.

SALMO LIV.

Exaudi Deus orationem meam, et ne despicias deprecationem meam.
Attende mihi, et exaudi me :
Humiliatus sum in meditatione mea et conturbatus à voce inimici, à facie persequentis impii :
Quoniam projecerunt super me iniquitatem, et in furore adversabantur mihi.
Cor meum doluit in vitalibus meis, et terrores mortis ceciderunt super me.
Timor et tremor venit super me, et operuit me caligo.
Et dixi : Quis dabit mihi pennas columbæ, ut volem et requiescam?
Ut procul abeam, et commorer in deserto. Semper.
[3] Festinabo ut salver à spiritu tempestatis et turbinis.
Præcipita Domine, divide linguas eorum : quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.
Die et nocte circumeuntes muros ejus : scelus et dolor in medio ejus.
Insidiæ in vitalibus ejus, et non recedit de plateis ejus damnum et fraudulentia.
Non enim inimicus exprobravit mihi ut sustineam : neque is qui me oderat super me magnificatus est, ut absconder ab eo.
Sed tu homo unanimis meus, dux meus, et notus meus.
Qui simul habuimus dulce secretum, in domo Dei ambulavimus cum terrore.
Veniat mors super eos, descendant in infernum viventes, quia nequitiæ in congregatione eorum, in medio eorum.
Ego ad Deum clamabo, et Dominus salvabit me.
Vesperè et manè et meridie loquar et resonabo, et exaudiet vocem meam.
[4] Redemit in pace animam meam, ab appropinquantibus mihi : multi enim fuerunt adversùm me.
Exaudiet Deus, et humiliabit eos, qui judex est ab initio. Semper.
Non enim mutantur neque timent Deum.
Extendit manus suas ad pacifica sua : contaminabit pactum suum.
Nitidius butyro os ejus : pugnat autem cor illius, molliores sermones ejus ab oleo, quum sint lanceæ.
Projice super Dominum charitatem tuam, et ipse te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem justo.
Tu autem Deus deduces eos in puteum interitûs : viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos : ego autem fiduciam habeo tui.

SALMO LV.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo : totà die pugnans tribulavit me.
Conculcaverunt me [5] insidiatores mei totà die : multi enim qui pugnant contra me Altissime.

1 salutaria — 2 decantatoribus — 3 Festina — 4 Redimet — 5 decantatores

Quâqumque die territus fuero : ego in te confidam.
In Deo laudabo verbum ejus, in Deo speravi : non timebo, quid faciat mihi caro.
Totà die sermonibus me affligebant : contra me omnes cogitationes eorum in malum.
Congregabuntur absconditè, ipsi [1] plantas meas observabunt : exspectantes animam meam.
Quia nullus est salvus in eis : in furore populos detrahe Deus.
[2] Secretiora mea numerasti, pone lacrymam meam in [3] conspectu tuo : sed non in narratione tua.
Tunc convertentur inimici mei retrorsum, in quaqumque die invocavero : hoc scio quia Deus meus es.
In Deo laudabo verbum : in Domino [4] prædicabo sermonem.
In Deo speravi : non timebo, quid faciat mihi homo.
In me sunt Deus vota tua : reddam gratiarum actiones tibi.
Quia liberasti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : ut ambulem coram Deo, in lumine viventium.

SALMO LVI.

Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te speravit anima mea ;
Et in umbra alarum tuarum sperabo : donec transeant insidiæ.
Invocabo Deum altissimum : Deum ultorem meum.
Mittet de cœlo et salvabit me, exprobrabit conculcantibus me. Semper.
Mittet Deus misericordiam suam et veritatem suam.
Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium.
Filii hominum dentes eorum lanceæ et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.
Exaltare super cœlos Deus : in omni terra gloria tua.
Rete paraverunt gressibus meis, [5] ad incurvandam animam meam :
Foderunt ante me foveam, ceciderunt in medio ejus. Semper.
Paratum cor meum Deus : paratum cor meum : cantabo et psallam.
[6] Surge gloria mea ; [7] surge psalterium et cithara : [8] surgam manè.
Confitebor tibi in populis Domine : [9] cantabo tibi in gentibus.
Quia magna usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.
Exaltare super cœlos Deus : in omni terra gloria tua.

SALMO LVII.

Si verè utique justitiam loquimini : recta judicate filii hominum.
Etenim in corde [10] iniquitates operamini in terra : iniquitates manuum vestrarum appendite.
Alienati sunt peccatores à vulva : erraverunt ab utero loquentes mendacium.
Furor eorum sicut similitudo furoris serpentis : sicut reguli surdi obturantis aurem suam.
Ut non audiat vocem murmurantium : nec incantatoris incantationes callidas.
Deus excute dentes eorum ex ore eorum : molares leonum confringe Domine.
Dissolvantur quasi aquæ quæ defluunt : intendet [11] arcum suum donec conterantur.
Quasi vermis tabefactus pertranseat : quasi abortivum mulieris quod non vidit solem.
Antequàm crescant spinæ vestræ in rhamnum : quasi viventes, quasi in ira tempestas rapiet eos.
Lætabitur justus quum viderit ultionem : pedes suos lavabit in sanguine impii.
Et dicet homo, verè est fructus justo : verè est Deus judicans in terra.

SALMO LVIII.

Erue me de inimicis meis [12] Deus meus, et à resistentibus mihi protege me.
Libera me ab operariis iniquitatis, et à viris sanguinum salva me.

1 calcaneos meos — 2 Motum meum tu — 3 utre — 4 laudabo — 5 incurvata est anima mea — 6 Expergescere — 7 expergescere — 8 expergiscar — 9 psallam — 10 holocausta — 11 sagittam suam — 12 Domine

Quia ecce insidiati sunt animæ meæ, congregantur adversùs me [1] fortissimi : absque iniquitate mea, et absque peccato meo Domine.

Non egi iniquè, et illi currunt et præparantur : [2] surge ex adverso pro me et respice.

Et tu Domine Deus exercituum Deus Israël, evigila ut visites omnes gentes :

Non miserearis universis qui operantur iniquitatem. SEMPER.

Revertantur ad vesperam, latrent ut canis, et circumeant civitatem.

Ecce loquentur in ore suo, gladii in labiis eorum : quasi nemo audiat.

Tu autem Domine deridebis eos : subsannabis omnes gentes.

Fortitudinem meam ad te servabo : quoniam tu Deus elevator meus.

Deus misericordia mea præveniet me : Deus ostendet mihi [3] in insidiatoribus meis.

Ne occidas eos, ne fortè obliviscantur populi mei : disperge eos in fortitudine tua et destrue eos : protector noster Domine.

Peccato oris sui, sermone labiorum suorum, et capiantur in superbia sua : maledictionem et mendacium narrantes.

Consume in furore, consume ut non subsistant : et sciant quoniam Deus dominatur Jacob, in finibus terræ. SEMPER.

Et convertantur ad vesperam, latrent ut canis, et circumeant civitatem.

Ipsi vagabuntur ut comedant, et quum saturati non fuerint, murmurabunt.

Ego autem cantabo imperium tuum, et laudabo manè misericordiam tuam :

Quoniam factus es [4] fortitudo mea, et refugium in die tribulationis meæ.

[5] Virtutem meam tibi cantabo : quoniam Deus [6] adjutor meus, Deus misericordia mea

SALMO LIX.

Deus projecisti nos, scidisti : iratus, convertisti nos.

Commovisti terram et disrupisti eam : sana contritiones ejus, quoniam commota est.

Ostendisti populo tuo duritiam : potasti nos vino consopiente.

Dedisti metuentibus te signum, ut fugerent à facie arcùs. SEMPER.

Ut liberentur amici tui : salva dextera tua, et exaudi me.

Deus loquutus est in sanctuario suo : lætabor, dividam Sicimam, et vallem Soccoth dimetiar.

Meus est Galaad, et meus est Manasse, et Ephraim fortitudo capitis mei :

Juda legifer meus : Moab olla lavacri mei :

Super Idumæam incedam calciamento meo : mihi Palæstina fœderata est.

Quis deducet me ad civitatem munitam? quis deducet me usque ad Idumæam?

Nonne tu Deus qui projecisti nos, et non egredieris Deus in exercitibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione : vana est enim salus ab homine.

In Deo faciemus virtutem, et ipse conculcabit tribulantes nos.

SALMO LX.

Exaudi Deus laudationem meam : intende orationi meæ.

De novissimo terræ ad te clamabo, quum triste fuerit cor meum :

Quum fortis elevabitur adversùm me, tu eris ductor meus.

Quoniam fuisti spes mea : turris munitissima à facie inimici.

[7] Habitabo in tabernaculo tuo [8] jugiter : sperabo in protectione alarum tuarum. SEMPER.

Tu enim Deus exaudisti orationem meam : dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies : annos ejus donec est generatio et generatio.

Sedebit [9] semper ante faciem Dei, misericordia et veritas servabunt eum.

Sic [10] canam nomini tuo jugiter : reddens vota mea per singulos dies.

SALMO LXI.

Attamen apud Deum silebit anima mea : ex eo salus mea.

Attamen ipse est [11] scutum meum et salus mea : [12] fortitudo mea non commovebor ampliùs.

Usquequo insidiamini contra virum, interficitis omnes, sicut murus inclinatus et maceria corruens.

1 crudelissimi — 2 expergiscere — 3 decantatoribus — 4 susceptor meus — 5 Fortitudo mea tibi psallam — 6 susceptor — 7 Peregrinabo — 8 in sæculum — 9 in sæculum — 10 psallam — 11 fortitudo mea — 12 susceptor meus

Partem enim ejus cogitaverunt expellere, placuerunt sibi in mendacio : ore suo benedicunt, et [1] corde suo maledicunt. SEMPER.

Verumtamen Deo tace anima mea : ab ipso enim præstolatio mea.

Ipse enim fortitudo mea et salus mea : susceptor meus non [2] timebo.

In Deo salutare meum et gloria mea : robur fortitudinis meæ et salus mea in Deo.

Sperate in eo omni tempore, populi effundite coram eo cor vestrum : Deus spes nostra. SEMPER.

Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri [3] in stateris dolosis : fraudulenter agunt simul.

Nolite confidere in calumnia et in rapina, ne frustremini : divitiæ si affluxerint, ne apponatis cor.

Unum loquutus est Deus, duo hæc audivi : quia [4] imperium Dei est.

Et tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique secundùm opus suum.

SALMO LXII.

[5] Deus fortitudo mea tu es, de luce consurgam ad te.

Sitivit te anima mea : desideravit te caro mea : in terra invia et consitiente, ac sine aqua.

Sic in sancto apparui tibi, ut videam fortitudinem tuam et gloriam tuam.

Melior est enim misericordia tua quàm vitæ : labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea : in nomine tuo levabo [6] manus meas.

Quasi adipe et pinguedine [7] implebitur anima mea, et labiis laudantibus [8] canet os meum.

Recordans tui in cubili meo : per singulas vigilias meditabor tibi.

Quia fuisti auxilium meum, et in umbra alarum tuarum laudabo.

Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.

Ipsi verò [9] interficere quærunt animam meam : ingrediantur [10] in extrema terræ.

Congregentur in manus gladii : pars vulpium erunt.

Rex autem lætabitur in Deo, laudabitur omnis qui jurat in eo : quia obstruetur os loquentium mendacium.

SALMO LXIII.

Audi Deus vocem meam loquentis : à [11] timore inimici serva vitam meam.

Absconde me à consilio malignorum : à tumultu operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt quasi gladium linguam suam : tetenderunt sagittam suam verbum amarissimum.

Ut sagittarent in absconditis simplicem : subitò sagittabunt eum et non timebunt.

Confortaverunt sibi sermonem pessimum, narraverunt ut absconderent laqueos : dixerunt quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates : defecerunt scrutantes scrutinio, et cogitationibus singulorum, et corde profundo.

Sagittabit ergò eos Deus jaculo repentino : inferentur plagæ eorum.

Et corruent in semetipsos [12] plagis suis : fugient omnes qui viderint eos.

Et timebunt omnes homines et annuntiabunt opus Dei, et opera ejus intelligent.

Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo : exsultabunt omnes recti corde.

SALMO LXIV.

Tibi silet laus Deus in Sion, et tibi reddetur votum.

Exaudi orationem donec ad te omnis caro veniat.

Verba iniquitatum prævaluerunt adversùm me : sceleribus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegeris et susceperis : habitabit enim in atriis tuis;

Replebimur bonis domùs tuæ, sanctificatione templi tui.

Terribilis in justitia exaudi nos Deus salvator noster :

1 intrinsecus — 2 movebor — 3 impositi stateris vanitas ipsi simul — 4 fortitudo — 5 Deus Deus meus tu — 6 palmas — 7 satiabitur — 8 laudabit — 9 ad calamitatem — 10 inferiora — 11 pavore — 12 linguis

Confidentia omnium finium terræ, et maris longinqui.

Præparans montes in virtute sua, accinctus fortitudine.

Compescens sonitum maris, fremitum fluctuum ejus, et multitudine [1] gentium.

Et timebunt qui habitant in extremis à signis tuis: egressus [2] matutino et vesperi laudantes facies.

Visitasti terram et irrigasti eam, ubertate dita eam.

Rivus Dei plenus aquâ præparabis frumentum eorum, quia sic [3] fundasti eam.

Sulcos ejus inebria, [4] multiplica fruges ejus: pluviis irriga eam, germini ejus benedic.

[5] Volvetur annus in bonitate tua, et vestigia tua rorabunt pinguedine.

[6] Pinguescent pascua deserti, et exultatione colles accingentur.

Vestientur agnis greges: et valles plenæ erunt frumento, coæquabuntur et canent.

SALMO LXV.

Jubilate Deo omnis terra.

[7] Cantate gloriam nomini ejus.

Date gloriam laudi ejus. Dicite Deo, quam terribile opus tuum:

In multitudine fortitudinis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te et [8] cantet tibi, cantet nomini tuo. SEMPER.

[9] Venite et videte opera Dei, terribilia consilia super filios [10] hominum.

Convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in eo.

Qui dominatur in fortitudine sua à sæculo, oculi ejus gentes aspiciunt;

Qui increduli sunt, non exaltentur in semetipsis. SEMPER.

Benedicite populi Deo nostro, et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam nostram in vitam, et non dedit in commotionem pedes nostros.

Probasti enim nos Deus: igne nos conflasti sicut conflatur argentum.

Introduxisti nos in obsidionem: posuisti stridorem in [11] dorso nostro: imposuisti homines super caput nostrum:

Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.

Ingrediar domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea,

Quæ [12] promiserunt labia mea, et loquutum est os meum quum tribularer.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: faciam boves cum hircis. SEMPER.

[13] Venite, audite et narrabo omnes qui timetis Deum: quanta fecerit animæ meæ.

Ipsum ore meo invocavi, et exaltavi in lingua mea.

Iniquitatem si vidi in corde meo, non exaudiat Dominus.

Ideo exaudivit Deus; et attendit vocem [14] deprecationis meæ.

Benedictus Deus, qui non abstulit orationem meam, et misericordiam suam à me.

SALMO LXVI.

Deus misereatur nostri, et benedicat nos: illustret faciem suam super nos. SEMPER.

Ut nota fiat in terra via tua: in universis gentibus salus tua.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et laudent [15] gentes quoniam judicas populos in æquitate: et [16] gentium quæ in terra sunt ductor es. SEMPER.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Terra dedit germen suum: benedicat nobis Deus Deus noster.

Benedicat nobis Deus, et timeant eum omnes fines terræ.

SALMO LXVII.

Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus; et fugiant qui oderunt eum à facie ejus.

Sicut deficit fumus deficiant: sicut tabescit cera à facie ignis, sic pereant impii à facie Dei.

1 plebium — 2 matutini — 3 præparabis — 4 educ accinctos ejus — 5 Coronasti annum — 6 Rorabunt — 7 Psallite — 8 psallat — 9 Ite — 10 Adam — 11 lumbis nostris — 12 distinxerunt — 13 Ite — 14 orationis — 15 plebes — 16 plebium

Justi autem lætentur et exsultent in conspectu Dei, et gaudeant in lætitia.

Cantate Deo, psallite nomini ejus: præparate viam ascendenti per [1] deserta;

In Domino nomen ejus, et exsultate coram eo.

[2] Patri pupillorum, et defensori viduarum:

Deus in habitaculo sancto suo:

Deus habitare facit solitarios in domo:

Educet vinctos in fortitudine: increduli autem habitaverunt in siccitatibus.

Deus quum egredereris ante populum tuum, et [3] ambulares per desertum. SEMPER.

Terra commota est, et cœli stillaverunt à facie Dei, hoc est Sinai: à facie Dei Israël.

Pluviam voluntariam elevasti Deus: hereditatem tuam laborantem tu confortasti.

Animalia tua habitaverunt in ea: præparasti in bonitate tua pauperi Deus.

Domine dabis sermonem, annuntiatricibus [4] fortitudinis plurimæ.

Reges exercituum fœderabuntur, fœderabuntur; et pulchritudo domûs dividet spolia.

Si dormieritis inter medios terminos, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora ejus in virore auri.

Quum divideret robustissimus reges in ea, nive dealbata est in Selmon.

Mons Dei, mons [5] pinguis: mons excelsus, mons [6] pinguis.

Quare contenditis montes excelsi adversùs montem, quem dilexit Deus ut habitaret in eo: siquidem Dominus habitabit in sempiternum.

Currus Dei innumerabilis millia abundantium: Dominus in eis; Sinai in sancto.

Ascendisti in excelsum, captivam duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus: insuper et non credentes inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus per singulos dies, portabit nos Deus salutis nostræ. SEMPER.

Deus [7] noster Deus [8] salutis, et Domini Dei: mortis egressus.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem crinis, ambulantis in delictis suis.

Dixit Dominus, de Basan convertam: convertam de profundis maris.

Ut calcet pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum, ex inimicis à temetipso

Viderunt itinera tua Deus: itinera Dei mei, regis mei in sancto.

Præcesserunt cantatores eos, qui post tergum psallebant in medio puellarum tympanistriarum.

In Ecclesiis benedicite Deo: Domino de fonte Israël.

Ibi Benjamin parvulus [9] continens eos, principes Juda [10] in purpura sua: principes Zabulon, principes Nephthali.

Præcepit Deus tuus fortitudine tuâ, conforta Deus hoc quod operatus es in nobis.

De templo tuo, quod est in Jerusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa bestiam calami congregatio fortium, in vitulis populorum calcitrantium contra rotas argenteas: disperge populos qui bella volunt.

[11] Offerant velociter ex Ægypto: Æthiopia festinet manus Deo:

Regna terræ cantate Deo: psallite Domino. SEMPER.

Qui ascendit super cœlum cœli [12] ab oriente: ecce dabit vocem suam vocem fortitudinis.

Date [13] gloriam Deo: super Israël magnificentia ejus, et fortitudo ejus in cœlis.

Terribilis Deus de sanctuariis suis: Deus Israël ipse dabit fortitudinem, et robur populo: benedictus Deus.

SALMO LXVIII.

Salva me Deus: quoniam venerunt aquæ usque ad animam.

Infixus sum in limo profundi, et non possum consistere:

Veni in profundum aquarum, et [14] flumen operuit me.

Laboravi clamans, exasperatum est guttur meum: defecerunt oculi mei, exspectantes Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis:

Confortati sunt qui persequebantur me inimici mei injustè: quæ non rapueram, tunc reddebam

Deus tu scis stultitiam meam, et peccata mea à te non sunt abscondita.

Non confundantur in me exspectantes te Domine Deus exercituum:

Non confundantur in me qui quærunt te Deus Israël.

Quia propter te portavi opprobrium: operuit confusio faciem meam.

Alienus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ.

Quia zelus domûs tuæ comedit me, et opprobrium exprobrantium tibi cecidit super me.

Et flevi in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.

1 araboth, quod est superius cœlum — 2 Judici — 3 gradieris — 4 exercitum plurimum — 5 Basan — 6 Basan 7 nobis — 8 salutum — 9 fecit descendere — 10 lapidabunt eos — 11 Veniant legati — 12 à principio — 13 fortitudinem — 14 fluctus

Et posui vestimentum meum saccum, et factus sum eis in parabolam.

Contra me loquebantur qui sedebant in porta, et cantabant bibentes [1] vinum.

Mea autem oratio ad te Domine, tempus [2] reconciliationis est.

Deus in multitudine misericordiæ tuæ, exaudi me in veritate salutis tuæ.

Erue me de luto ut non infigar : libera me ab his qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Ne operiat me fluctus aquæ, ne absorbeat me profundum : et non coronet super me puteus os suum.

Exaudi me Domine, quoniam bona est misericordia tua : secundùm multitudinem miserationum tuarum respice ad me.

Et ne abscondas faciem tuam à servo tuo : quoniam tribulor [3] citò exaudi me.

Accede ad animam meam, redime eam : propter inimicos meos libera me.

Tu scis opprobrium meum, et confusionem meam, et ignominiam meam : coram te sunt omnes hostes mei.

Opprobrio contritum est cor meum, et desperatus sum :

Et exspectavi qui contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Sit mensa eorum coram eis in laqueum, et in retributiones ad corruendum.

Contenebrentur oculi eorum ne videant, et [4] dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos indignationem tuam, et ira furoris tui comprehendat eos.

Fiat commoratio eorum deserta : in tabernaculis eorum non sit qui habitet.

Quoniam quem tu percussisti, persequuti sunt : et ut affligerent vulneratos tuos narrabunt.

Da iniquitatem super iniquitatem eorum, et non veniant in justitia tua.

Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.

Ego autem pauper et dolens : salus tua Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei in cantico, et magnificabo eum in confessione.

Et placebit Domino super [5] vitulum novellum, cornua efferentem et ungulas.

Videntes mansueti lætabuntur : qui quæritis Deum vivet [6] anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus : et vinctos suos non despexit.

Laudent eum cœli et terra : maria et omne quod movetur in eis.

Quia Deus salvabit Sion, et ædificabit civitates Juda : et habitabunt ibi, et possidebunt eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam, et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.

SALMO LXIX.

Deus ut liberes me : Domine ut auxilieris mihi festina

Confundantur et erubescant, qui quærunt animam meam :

Convertantur retrorsum et erubescant, qui volunt malum mihi.

Revertantur ad vestigium confusionis suæ : qui dicunt vah vah.

Gaudeant et lætentur in te omnes qui quærunt te : et dicant semper : Magnificetur Deus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem egenus et pauper, Deus festina pro me :

Auxilium meum et salvator meus tu, Domine ne moreris.

SALMO LXX

In te Domine speravi, non confundar in [7] æternum.

In justitia tua erue me, et libera me : inclina ad me aurem tuam, et salva me.

Esto mihi robustum habitaculum ut ingrediar jugiter, præcepisti ut salvares me : quia petra mea et fortitudo mea es tu.

Deus meus salva me de manu impii : de manu iniqui et nocentis.

Quia tu es exspectatio mea : Domine Deus fiducia mea ab adolescentia mea.

A te sustentatus sum ex utero : de ventre matris meæ tu es protector meus : in te laus mea jugiter.

Quasi portentum factus sum multis, et tu spes mea fortissime.

Impleatur os meum laude tuâ, totâ die magnitudine tuâ

Ne projicias me in tempore senectutis : quum defecerit fortitudo mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi : et qui observabant animam meam, inierunt consilium pariter.

Dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini

1 siceram — 2 placiti — 3 festina — 4 lumbos — 5 bovem taurum — 6 cor vestrum — 7 sæculum

et comprehendite eum, quia non est qui eruat.

Deus ne elongeris à me : Deus meus ad auxilium meum festina.

Confundantur, consumantur adversarii animæ meæ :

Operiantur opprobrio et confusione, qui quærunt malum mihi.

Ego autem jugiter exspectabo, et adjiciam super omnem laudem tuam.

Os meum narrabit justitiam tuam, totâ die salutare tuum : quia non cognovi litteraturas.

Ingrediar in fortitudines Domini Dei : recordabor justitiæ tuæ solius.

Deus docuisti me ab adolescentia mea, et usque nunc annuntiabo mirabilia tua.

Insuper et usque ad senectutem et canos Deus ne derelinquas me ;

Donec annuntiem brachium tuum generationi : cunctisque qui venturi sunt fortitudinem tuam.

Et justitiam tuam Deus usque in excelsum, [1] quanta fecisti magnalia : Deus quis similis tibi ?

Quia ostendisti nobis tribulationes plurimas et malas ;

Et conversus vivificabis nos, et de abyssis terræ rursum educes nos.

Multiplicabis magnitudinem meam, et conversus consolaberis me.

Ego autem confitebor tibi in vasis psalterii veritatem tuam, Deus meus : [2] cantabo tibi in cithara, sancte Israël.

Laudabunt labia mea quum [3] cantavero tibi, et anima mea quam redemisti.

Insuper et lingua mea totâ die meditabitur justitiam tuam : quia confusi sunt, et dehonestati quærentes malum mihi.

SALMO LXXI.

Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.

Judicabit populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio.

Assument montes pacem populo, et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, salvabit filios pauperis : et confringet calumniatorem.

Et timebunt te quamdiù erit sol, et ultra lunam in generatione generationum.

Descendet ut pluvia super vellus, ut stillæ irrorantes terram.

Germinabit in diebus ejus [4] justitia, et multitudo pacis donec non sit luna.

Et dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos terræ.

Ante eum procident Æthiopes, et inimici ejus pulverem lingent.

Reges Tharsis et insulæ munera offerent : reges [5] Arabiæ et Saba tributum conferent.

Et adorabunt eum omnes reges : universæ nationes servient ei.

Quia eruet pauperem à potente, et inopem cui non est adjutor.

Parcet inopi et pauperi, et animas pauperum salvabit.

Ab usura et iniquitate redimet animas eorum, et pretiosus erit sanguis eorum coram oculis ejus.

Et vivet et dabitur ei de auro Saba, et orabunt de eo jugiter, totâ die benedicent ei.

Erit memorabile triticum in terra, in capite montium [6] elevabitur sicut Libani fructus ejus, et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

Erit nomen ejus in [7] æternum ; [8] ultra solem perseverabit nomen ejus ;

Et benedicentur in eo : omnes gentes beatificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Deus Israël : qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen gloriæ ejus in [9] sempiternum, et implebitur gloriâ ejus universa terra : amen et amen.

COMPLETÆ SUNT ORATIONES DAVID FILII ISAI.

SALMO LXXII.

Attamen bonus est Israël Deus his qui mundo sunt corde.

Mei autem penè vacillaverunt pedes : penè effusi sunt gressus mei.

Quia æmulatus sum contra iniquos : pacem impiorum videns.

Quòd non recogitaverint de morte sua : et firma sint vestibula eorum.

In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo nutriti sunt ad superbiam : circumdederunt iniquitatem sibi.

Processerunt à pinguedine oculi eorum : transierunt cogitationes cordis.

Irriserunt, et loquuti sunt in malitia calumniam : de excelso loquentes.

Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum deambulavit in terra.

Propterea convertetur populus ejus hìc, et quis plenus invenietur in eis?

1 quæ — 2 psallam — 3 psallero — 4 justus — 5 Saba — 6 fluctuabitur — 7 sæculum — 8 ante — 9 sæculum

Et dixerunt quomodo novit Deus, et si est scientia in excelso.

Ecce isti impii, et abundantes in sæculo multiplicaverunt divitias.

Ergò ne frustrà mundavi cor meum, et lavi in innocentia manus meas.

Et fui flagellatus totâ die, et increpatio mea in matutinis.

Et dixi, si narravero sic : ecce generationem filiorum tuorum reliqui.

Et cogitavi ut intelligerem istud : labor est in oculis meis.

Donec veniam ad sanctuaria Dei : [1] intelligam in novissimo eorum.

Verumtamen in lubrico posuisti eos : dejecisti eos ad interitum.

Quomodo vastati sunt subitò : defecerunt, consumti sunt quasi non sint.

Quasi somnium evigilantis : Domine in civitate imaginem eorum ad nihilum rediges.

Quia contractum est cor meum, et lumbi mei velut ignis fumigans.

Et ego insipiens, et nescius : quasi jumentum factus sum apud te.

Et ego semper tecum, et tenebas manum dexteram meam.

In consilium tuum deduces me, et postea in gloria suscipies me.

Quid mihi est in cœlo, et tecum nolui in terra?

Consumta est caro mea et cor meum : robur cordis mei et pars mea Deus in [2] æternum.

Quia ecce qui elongant se à te, peribunt : perdidisti omnem fornicantem à te.

Mihi autem propinquare Deo bonum est : posui in Domino Deo spem meam, ut narrem omnes annuntiationes tuas.

SALMO LXXIII.

Ut quid Deus repulisti in finem : fumabit furor tuus in gregem pascuæ tuæ?

Recordare congregationis tuæ, quam possedisti ab initio, redemisti [3] virgam hereditatis tuæ : montem Sion in quo habitasti.

Sublimitas pedum tuorum dissipata est usque ad finem : omnia mala egit inimicus in sanctuario.

Fremuerunt hostes tui in medio pacti tui : posuerunt signa sua in trophæum.

Manifesta in introitu desuper : in saltu lignorum secures.

Et nunc sculpturas ejus pariter, bipenne et dolatoriis deraserunt.

Miserunt ignem in sanctuarium tuum : in terram contaminaverunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in cordibus suis posteri eorum simul : incenderunt omnes solemnitates Dei in terra.

Signa nostra non vidimus, non est ultrà propheta : et non est nobiscum qui sciat usquequo.

Usquequo Deus exprobrabit adversarius? blasphemabit inimicus nomen tuum in finem.

Quare convertis manum tuam et dexteram tuam? à medio sinu tuo consume.

Deus autem rex meus ab initio : operatur salutes in medio terræ.

Tu dissipasti in fortitudine tua mare : contrivisti capita draconum in aquis.

Tu [4] confregisti capita Leviathan : dedisti eum escam populo Æthiopum.

Tu dirupisti fontem et torrentem, tu exsiccasti flumina fortia.

Tua est dies, et tua est nox, tu ordinasti luminare et solem.

Tu statuisti omnes terminos terræ : æstatem et hyemem tu plasmasti.

Memento hujus, inimicus exprobravit Domino, et populus insipiens blasphemavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animam eruditam lege tuâ : vitæ pauperum tuorum ne obliviscaris in perpetuum.

Respice ad pactum : quia repletæ sunt tenebris terræ, habitationes iniquæ.

Ne revertatur confractus, confusus : egenus et pauper laudabunt nomen tuum.

Surge Deus judica caussam tuam : memento opprobrii tui ab insipiente totâ die.

Ne obliviscaris voces hostium tuorum : sonitus adversariorum tuorum ascendit jugiter.

SALMO LXXIV.

Confitebimur tibi Deus, confitebimur, et juxta nomen tuum, narrabunt mirabilia tua.

Quum accepero [5] tempus, ego recta judicabo.

Dissolvetur terra cum omnibus habitatoribus suis : ego appendi columnas ejus. SEMPER.

Dixi iniquè agentibus, nolite iniquè agere : et impiis, nolite exaltare cornu.

Nolite exaltare in excelsum cornu vestrum : loquentes in cervice veteri.

1 et — 2 sæculum — 3 sceptrum — 4 fregisti — 5 condictum

Quia neque ab oriente, neque ab occidente : neque à solitudine montium.

Sed Deus judex : hunc humiliabit, et hunc exaltabit.

Quia calix in manu Domini et vino meraco ad plenum mixtus, et propinabit ex eo :

Verumtamen fæces ejus potabunt bibentes omnes impii terræ.

Ego autem annuntiabo in sempiternum : [1] cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua impiorum confringam ; exaltabuntur cornua justi.

SALMO LXXV.

Cognoscitur in Judæa Deus : in Israël magnum nomen ejus.

Et erit in Salem tabernaculum ejus, et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit [2] volatilia arcus, scutum, et gladium, et bellum. SEMPER.

Lumen tu es magnificè à montibus captivitatis.

Spoliati sunt superbi corde : dormitaverunt somnum suum, et non invenerunt omnes viri exercitûs manus suas.

Ab increpatione tua Deus Jacob : consopitus est currus et equus.

Tu terribilis es : et quis stabit adversùm te, ex tunc ira tua?

De cœlo [3] annuntiabis judicium : terra timens et tacebit.

Quum surrexerit ad judicium Deus, ut salvos faciat omnes mites terræ. SEMPER.

Quia ira hominis confitebitur tibi : reliquiis irarum accingeris.

Vovete et reddite Domino Deo vestro : omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent dona terribili.

Auferenti spiritum ducum : terribili regibus terræ.

SALMO LXXVI.

Voce meâ ad Dominum, et clamavi : voce meâ ad Deum, et [4] exaudivit me.

In die tribulationis meæ Dominum requisivi, manus mea nocte extenditur et non quiescit.

Noluit consolari anima mea : recordans Dei conturbabar :

Loquebar in memetipso, et deficiebat spiritus meus. SEMPER.

[5] Prohibebam suspectum oculorum meorum : stupebam, et non loquebar.

Recogitabam dies antiquos : annos sæculorum.

Recordabar [6] psalmorum meorum in nocte, cum corde meo loquebar, et [7] scrutabar spiritum meum.

Ergòne in [8] æternum projiciet Dominus, et non propitiabitur ultrà?

Ergòne complebit usque in finem misericordiam suam : consummabitur verbum de generatione [9] et generatione?

Numquid oblitus est misèreri Deus : aut complebit in furore [10] misericordias suas? SEMPER.

Et dixi, imbecillitas mea est hæc : [11] commutatio dexteræ Excelsi.

Recordabor cogitationum Domini : reminiscens antiqua mirabilia tua.

Et meditabor in omni opere tuo, et adinventiones tuas loquar.

Deus in sancto via tua : quis Deus magnus ut Deus?

Tu es Deus faciens mirabilia ; [12] ostendens in populis potentiam tuam.

Redemisti in brachio populum tuum, filios Jacob et Joseph. SEMPER.

Videntes te aquæ Deus, videntes te aquæ parturierunt : et commotæ sunt abyssi.

Excusserunt aquas nubila, vocem dederunt nubes, et sagittæ tuæ discurrebant.

Vox tonitrui tui in rota, [13] apparuerunt fulgura tua orbi : concussa et commota est terra.

In mari via tua : et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non sunt agnita.

Deduxisti quasi [14] gregem populum tuum : in manu Mosi et Aaron.

SALMO LXXVII.

Ausculta populus meus legem meam : inclinate aurem vestram ad verba oris mei.

Aperiam in parabola os meum : loquar ænigmata antiqua.

Quæ audivimus et cognovimus, et patres nostri narraverunt nobis.

Non sunt abscondita à filiis eorum, à generatione sequenti.

1 psallam — 2 diaboli arcum — 3 auditum fecisti — 4 et præbuit mihi aurem — 5 Comprehendisti — 6 carminis mei — 7 scopebam — 8 sæcula — 9 in generationem — 10 pietates — 11 annos — 12 innotescens — 13 illuxerunt — 14 oves

Narrantes laudes Domini, et potentiam ejus : et mirabilia ejus quæ fecit.

Statuit contestationem in Jacob, et legem posuit in Israël : quæ mandavit patribus nostris, ut docerent filios suos.

Ut cognosceret generatio subsequens : filii nascituri surgent et narrabunt filiis suis.

Ut ponant in Deo spem suam : et non obliviscantur [1] cogitationum Dei, et mandata ejus custodiant.

Et non sint sicut patres eorum generatio declinans, et provocans : generatio quæ non præparavit cor suum, et non credidit Deo spiritus ejus.

Filii Ephraim intendentes, emittentes arcum : terga verterunt in die belli.

Non custodierunt pactum Dei, et in lege ejus noluerunt ingredi.

Et obliti sunt [2] cogitationum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis.

Coram patribus eorum fecit mirabilia : in terra Ægypti, in regione Taneos.

[3] Divisit mare, et transduxit eos : et stare fecit aquas quasi [4] acervum.

Et duxit eos in nube per diem, et totâ nocte in lumine ignis.

Scidit petram in deserto, et potum dedit quasi de abyssis magnis.

Et eduxit rivos de petra, et elicuit quasi flumina aquas.

Et addiderunt ultrà peccare ei, ut provocarent Excelsum in invio.

Et tentaverunt Deum in cordibus suis : petentes cibum animæ suæ.

Et loquentes contra Deum dicebant : Numquid poterit Deus parare mensam in solitudine?

Ecce percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt :

Numquid et panem poterit dare, aut parare carnem populo suo?

Ideo audivit Dominus, et[5] non distulit : et ignis accensus est in Jacob, et furor ascendit in Israël.

Quia non crediderunt in Deo : nec habuerunt fiduciam in salutari ejus.

Et præcepit nubibus desuper, et portas cœli aperuit.

Et pluit super eos manna ut comederent, et triticum cœli dedit eis.

Panem fortium comedit vir : cibaria misit illis in saturitatem.

Abstulit Eurum de cœlo, et induxit in fortitudine sua Aphricum.

Et pluit super eos quasi pulverem carnem, et quasi arenam maris volatilia pennata.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum : in circuitu tabernaculorum eorum.

Et comederunt, et saturati sunt nimis : et desiderium eorum attulit eis.

[6] Non indiguerunt de cupiditate sua : quum adhuc cibus esset in ore eorum.

Furor ergò Dei ascendit super eos : et occidit pingues eorum, et electos Israël incurvavit.

In omnibus his peccaverunt ultrà, et non crediderunt in mirabilibus ejus.

Et consumsit in vanitate dies eorum, et annos eorum velociter.

Si occidebat eos, tunc querebant eum : et convertebantur, et diluculò consurgebant ad Deum.

Et recordabantur quia Deus fortitudo eorum, et Deus excelsus redemtor eorum est.

Et lactaverunt eum in ore suo, et linguâ suâ mentiti sunt ei.

Cor autem eorum non erat firmum cum eo : nec permanserunt in pacto ejus.

Ipse verò misericors propitiabitur iniquitati, et non disperdet :

Multùmque avertit iram suam, et non suscitavit totum furorem suum.

Et recordatus est quia caro essent : spiritus vadens et non revertens.

Quoties provocaverunt eum in deserto : affli xerunt eum in solitudine!

Et conversi sunt, et tentaverunt Deum, et sanctum Israël concitaverunt.

Non sunt recordati manûs ejus : die quâ redemit eos de tribulante.

Qui [7] fecit in Ægypto signa sua, et ostenta sua in regione Taneos.

Qui convertit in sanguinem fluvios eorum, et rivos eorum ut non biberent.

Qui immisit in eos omne genus muscarum ut comederent eos, et ranas ut disperderent eos.

Qui dedit brucho germen eorum et laborem eorum locustæ.

Qui occidit in grandine vineas eorum, et sycomoros eorum in frigore.

Qui tradidit grandini pascua eorum, et jumenta eorum [8] volucribus.

Qui misit in eos iram furoris sui : indignationem, et comminationem, et angustiam : immissionem angelorum malorum.

Munivit semitam furori suo, non pepercit à morte animæ eorum : et animantia eorum pesti tradidit.

Et percussit omne primogenitum in Ægypto : principium [9] partûs in tabernaculis Cham.

Et tulit velut oves populum suum, et minavit eos sicut gregem in deserto.

Et eduxit eos cum fiducia et absque timore : Inimicos autem eorum operuit mare.

Et adduxit eos ad terminum sanctificatum suum : montem istum quem possedit dextera ejus.

Et ejecit à facie eorum gentes : et possidere eos fecit in funiculo hereditatem, et collocavit in tabernaculis eorum tribus Israël.

1 adinventionum — 2 adinventionum — 3 Disrupit — 4 in utre — 5 et distulit — 6 Nondum expleverunt desiderium suum — 7 posuit — 8 diabolis — 9 doloris

Et tentaverunt, et provocaverunt Deum excelsum : et testimonia ejus non custodierunt.

Et aversi sunt et prævaricati sunt ut patres eorum : incurvati sunt quasi arcus inutilis.

Et provocaverunt eum in excelsis suis, et in sculptilibus suis ad æmulandum eum concitaverunt.

Audivit Deus et non distulit : et projecit vehementer Israël.

Et reliquit tabernaculum Silo : tentorium quod collocavit inter homines.

Et tradidit in captivitatem virtutem suam, et decorem suum in manu hostis.

Et conclusit in gladio populum suum, et in hereditatem suam non distulit.

Juvenes ejus devoravit ignis, et virgines ejus nemo luxit.

Sacerdotes ejus in gladio ceciderunt, et viduæ ejus non sunt fletæ.

Et evigilavit quasi dormiens Dominus : quasi fortis post crapulam vini.

Et percussit hostes suos retrorsum : opprobrium sempiternum dedit eis.

Et projecit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit.

Sed elegit tribum Juda : montem Sion quem dilexit.

Et ædificavit in similitudine monocerotis sanctuarium suum : quasi terram fundavit illud in sæculum.

Et elegit David servum suum, et tulit eum de gregibus ovium.

Sequentem fœtas adduxit eum, ut pasceret in Jacob populum ejus, et in Israël hereditatem ejus.

Qui pavit eos in simplicitate cordis sui, et in prudentia manuum suarum dux eorum fuit.

SALMO LXXVIII.

Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum : posuerunt Jerusalem in acervos lapidum.

Dederunt cadavera servorum tuorum escam volatilibus cœli : carnes [1] sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum quasi aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris : subsannatio et derisio his qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo Domine irasceris in finem : ardebit quasi ignis zelus tuus?

Effunde furorem tuum super gentes quæ non cognoverunt te, et super regna quæ nomen tuum non invocaverunt.

Quia comederunt Jacob, et decorem ejus desolaverunt

Ne recorderis iniquitatum nostrarum veterum : [2] citò occupent nos misericordiæ tuæ, quia attenuati sumus nimis.

Auxiliare nobis Deus Jesus noster, propter gloriam nominis tui libera nos : et propitiare peccatis nostris propter nomen tuum.

Quare dicent gentes : Ubì est Deus eorum? nota fiat in gentibus ante oculos nostros ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.

Ingrediatur coram te gemitus vinctorum in magnitudine brachii tui : relinque filios interitùs.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum : opprobrium suum quod exprobraverunt tibi Domine.

Nos enim populus tuus, et oves pascuæ tuæ confitebimur tibi in sæculum : in generatione et generatione narrabimus laudem tuam.

SALMO LXXIX.

[3] Qui pascis Israël ausculta, qui ducis quasi [4] gregem Joseph : qui sedes super cherubim, ostendere.

Ante Ephraim et Benjamin et Manasse suscita fortitudinem tuam, et veni ut salvos facias nos.

Deus converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus :

Domine Deus exercituum, usquequo fumabis ad orationem populi tui?

Cibasti [5] eos pane flebili, et potasti eos in lacrymis tripliciter.

Posuisti nos contentionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.

Deus exercituum converte nos, et [6] ostende faciem tuam et salvi erimus.

Vineam de Ægypto tulisti : ejecisti gentes et plantasti eam.

Præparasti ante faciem ejus, et stabilisti radices ejus, et implevit terram.

Operti sunt montes umbrâ ejus, et rami illius cedri Dei.

Expandit comas suas usque ad mare, et usque ad flumen germina sua.

Quare dissipasti [7] maceriam ejus, et vindemiaverunt eam omnes qui transeunt per viam?

Vastavit eam aper de sylva, et omnes bestiæ agri depastæ sunt eam.

1 misericordium — 2 festina — 3 Pastor Israël auribus percipe — 4 oves — 5 nos — 6 illustra — 7 sepes

Deus exercituum revertere obsecro, respice de cœlo; et vide, et visita vineam hanc.

Et radicem quam plantavit dextera tua, et filium quem confirmasti tibi.

Succensam igni, [1] dirutam : ab increpatione faciei tuæ pereant.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Et non recedemus à te : vivificabis nos, et nomine tuo vocabimur.

Domine Deus exercituum converte nos : [2] ostende faciem tuam, et salvi erimus.

SALMO LXXX.

[3] Laudate Deum fortitudinem nostram : jubilate Deo Jacob.

Assumite carmen et date tympanum : citharam decoram cum psalterio.

Clangite in neomenia buccina, et [4] in medio mensæ, die solemnitatis nostræ.

Quia legitimum Israël est, judicium Deo Jacob.

Testimonium in [5] Joseph posuit, cùm egrederetur de terra Ægypti : labium quod nesciebam audivi.

Amovi ab onere humerum ejus : manus ejus à cophino recesserunt.

In tribulatione invocasti, et erui te, exaudivi te in abscondito tonitrui : probavi te super aquam contradictionis. SEMPER.

Audi populus meus, et contestabor te : Israël si audieris me.

Non sit in te deus alienus, et non adores deum [6] peregrinum.

Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti : dilata os tuum, et implebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam : et Israël non [7] credidit mihi.

Et dimisi eum in pravitate cordis sui : ambulabunt in consiliis suis.

Utinam populus meus audisset me : Israël in viis meis ambulasset.

Quasi nihilum inimicos ejus humiliassem, et super hostes eorum vertissem manum meam.

Qui oderunt Dominum, negabunt eum : et erit tempus eorum in sæculum.

Et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra, melle saturavit eos.

SALMO LXXXI.

Deus stetit in cœtu Dei : in medio deos judicat.

Usquequo judicatis iniquitatem, et facies impiorum suscipitis. SEMPER.

Judicate pauperi et pupillo, egeno et inopi justè facite.

Salvate inopem et pauperem : de manu impiorum liberate.

Non cognoscunt nec intelligunt, in tenebris ambulant : movebuntur omnia fundamenta terræ.

Ego dixi, Dii estis vos, et filii Excelsi omnes vos.

Ergo quasi Adam moriemini, et quasi unus de principibus cadetis.

Surge Deus, judica terram, quoniam tu hereditabis in omnes gentes.

SALMO LXXXII.

Deus ne taceas tibi; ne sileas, et non quiescas Deus.

Quia ecce inimici tui tumultuati sunt, et qui oderunt te, levaverunt caput.

Contra populum tuum nequiter tractaverunt, et inierunt consilium adversùs arcanum tuum.

Dixerunt : Venite, et conteramus eos de gente, et non sit memoria nominis Israël ultrà.

Quoniam tractaverunt corde pariter : contra te fœdus pepigerunt.

Tabernacula Idumeæ et Ismaëlitarum : Moab et Agareni

Gebal et Ammon et Amalec : Palæstina cum habitatoribus Tyri.

Sed et Assur [8] venit cum eis : facti sunt brachium filiorum Lot. SEMPER.

Fac illis sicut Madian, sicut Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cison.

Contriti sunt in En-Dor : fuerunt quasi sterquilinium terræ.

Pone duces eorum sicut Oreb, et Zeb, sicut Zebee, et Salmana omnes principes eorum.

Qui dixerunt, possideamus nobis : pulchritudinem Dei.

1 deramutam — 2 illumina — 3 Cantate Deo fortitudini nostræ — 4 in throno — 5 Jobezeph — 6 extraneum — 7 consensit — 8 Junxit se

Deus meus pone eos ut rotam : quasi stipulam ante faciem venti.

Quomodo ignis comburit sylvam, et sicut flamma devorat montes.

Sic persequeris eos in tempestate tua, et in turbine tuo conturbabis eos.

Imple facies eorum ignominiâ, et quærent nomen tuum Domine.

Confundantur et conturbentur usque in [1] sæculum : et erubescant, et pereant.

Et sciant quia nomen tuum est Dominus solus tu : excelsus super omnem terram

SALMO LXXXIII.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine exercituum !

Desiderat et deficit anima mea in atria Domini : cor meum et caro mea laudabunt Deum, Deum viventem.

Siquidem passer invenit domum, et avis nidum sibi, ubì ponat pullos suos :

Altaria tua Domine exercituum, rex meus et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua : adhuc laudabunt te. SEMPER.

Beatus homo cujus fortitudo est in te : semitæ in corde ejus.

Transeuntes in valle fletûs, fontem ponent eam : benedictionem quoque amicietur doctor.

Ibunt de fortitudine in fortitudinem : parebunt apud Deum in Sion.

Domine Deus exercituum exaudi orationem meam : [2] ausculta Deus Jacob. SEMPER.

Clypeus noster vide Deus, et attende faciem Christi tui.

Quoniam melior est dies in atriis tuis super millia : elegi abjectus esse in domo Dei mei, magìs quàm habitare in tabernaculis impietatis.

Quia sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus :

Nec prohibebit bonum ab iis qui ambulant in perfectione.

Domine exercituum : beatus homo qui confidit in te.

SALMO LXXXIV.

Placatus es Domine terræ tuæ : reduxisti captivitatem Jacob.

Dimisisti iniquitatem populo tuo : operuisti omnes iniquitates eorum. SEMPER.

Continuisti omnem indignationem tuam : conversus es ab ira furoris tui.

Converte nos Deus [3] Jesus noster, et solve iram tuam adversùm nos.

Noli in æternum irasci nobis : extendens iram tuam in generationem et generationem.

Nonne tu revertens vivificabis nos, et populus tuus lætabitur in te?

Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur Deus Dominus : loquetur enim pacem ad populum suum et ad sanctos suos, ut non convertantur ad stultitiam.

Verumtamen propè est his qui timent eum salutare ejus, ut habitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas occurrerunt : justitia et pax deosculatæ sunt.

Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.

Sed et Dominus dabit bonum, et terra nostra dabit germen suum.

Justitia ante eum ibit, et ponet in via gressus suos.

SALMO LXXXV.

Inclina Domine aurem tuam, exaudi me : quia egenus et pauper ego.

Custodi animam meam, quia [4] sanctus ego : salva servum tuum tu Deus meus, qui confidit in te.

Miserere meî Domine : quoniam ad te clamabo totâ die.

Lætifica animam servi tui : quia ad te Domine animam meam levo.

Tu enim es Domine bonus : et propitiabilis, et multus misericordiâ omnibus qui invocant te.

[5] Exaudi Domine orationem meam, et ausculta vocem deprecationum mearum.

In die tribulationis meæ invocabo te, quia exaudies me.

Non est similis tuî in diis Domine, et non est juxta opera tua.

1 æternum — 2 auribus percipe — 3 salutaris — 4 misericors — 5 Auribus percipe

Omnes gentes quas fecisti, venient et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.

Quia magnus es tu, et faciens mirabilia, tu Deus solus.

[1] Doce me Domine viam tuam, ambulem in veritate tua : unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in [2] sempiternum.

Quia misericordia tua magna super me, et eruisti animam meam de inferno [3] extremo.

Deus superbi surrexerunt adversùm me, et cœtus robustorum quæsierunt animam meam, et non posuerunt te in conspectu suo.

Tu autem Domine Deus misericors et clemens : [4] patiens, et multæ misericordiæ et verus.

Respice ad me et miserere mei : da fortitudinem tuam servo tuo, et salva filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonitate, et videant qui oderunt me, et confundantur :

Quia tu Domine auxiliatus es mihi, et consolatus es me

SALMO LXXXVI.

Fundamenta ejus in montibus sanctuarii.

Diligit Dominus portas Sion : super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt in te civitas Dei. SEMPER.

Commemorabo superbiæ et Babylonis scientibus me ;

Ecce Palæstina et Tyrus cum Æthiopia : iste natus est ibi.

Ad Sion autem dicetur : vir, et vir natus est in ea, et ipse fundavit eam Excelsus.

Dominus numerabit scribens populos : iste natus est ibi. SEMPER.

Et [5] cantores quasi in choris : omnes fontes mei in te.

SALMO LXXXVII.

Domine Deus salutis meæ : per diem clamavi, et nocte coram te.

Ingrediatur ante te oratio mea : inclina aurem tuam ad laudationem meam.

Quia repleta est malis anima mea, et vita mea ad infernum [6] descendit.

Reputatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum quasi homo invalidus, inter mortuos liber ;

Sicut interfecti et dormientes in sepulchro, quorum non recordaris ampliùs : et qui à manu tua abscisi sunt.

Posuisti me in lacu [7] novissimo : in tenebris, in profundis.

Super me confirmatus est furor tuus, et cunctis fluctibus tuis afflixisti me. SEMPER.

Longè fecisti notos meos à me, posuisti me abominationem eis, clausum, et non prodeuntem.

Oculus meus infirmatus est ab afflictione, vocavi te Domine totà die : expandi ad te palmas meas.

Numquid mortuis facies mirabilia : aut gigantes surgent, et confitebuntur tibi ? SEMPER.

Numquid narrabitur in sepulchro misericordia tua, veritas tua in perditione ?

Numquid noscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra quæ oblivioni tradita est ?

Ego autem ad te Domine [8] clamavi, et manè oratio mea præveniet te.

Quare Domine abjicis animam meam : abscondis faciem tuam à me ?

Pauper ego et ærumnosus, ab adolescentia ; portavi furorem tuum, conturbatus sum.

Super me transierunt iræ tuæ : terrores tui oppresserunt me.

Circumdederunt me quasi aquæ totà die : vallaverunt me pariter.

Longè fecisti à me amicum et sodalem : notos meos [9] abstulisti.

SALMO LXXXVIII.

Misericordias Domini in [10] æternum cantabo : in generatione et generatione [11] annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quia [12] dixi, [13] sempiterna misericordia ædificabitur : cœlos fundabis, et veritas tua in eis.

Percussi fœdus cum electo meo : juravi David servo meo.

1 Illumina mihi — 2 sæculum — 3 inferiori — 4 tardus ad furorem — 5 cantabunt — 6 usque pervenit — 7 subteriori — 8 deprecatus sum — 9 præ tenebris — 10 sæculum — 11 innotescam — 12 dixisti — 13 sæculum

Usque in æternum stabiliam semen tuum, et ædificabo in generatione et generatione thronum tuum. SEMPER.

Et confitebuntur cœli mirabilia tua Domine, et veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Quis enim in nube æquabitur Domino : assimilabitur Domino in filiis Dei ?

Deus [1] inclytus in arcano sanctorum nimio, et terribilis [2] in cunctis qui circa eum sunt.

Domine Deus exercituum, quis similis tibi ? fortissime Domine, et veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris superbiæ maris, et elationes gurgitum ejus [3] tu comprimis.

Tu confregisti quasi vulneratum, superbum : in brachio fortitudinis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra : orbem et plenitudinem ejus tu fundasti ea.

Aquilonem et dexteram tu creasti : Thabor et Hermon nomen tuum laudabunt.

[4] Tuum brachium cum fortitudine : roboretur manus tua, et exaltetur dextera tua.

Justitia et judicium firmamentum throni tui : misericordia et veritas præcedent faciem tuam.

Beatus populus qui novit jubilum : Domine in lumine vultùs tui ambulabunt.

In nomine tuo exsultabunt totà die, et in justitia tua exaltabuntur.

Quia gloria fortitudinis eorum tu es, et in voluntate tua elevabis cornu nostrum.

Quia à Domino est [5] protectio nostra, et à sancto Israël rege nostro.

Tunc loquutus es per visionem [6] sanctis tuis : et dixisti : Posui adjutorium super robustum, exaltavi electum de populo.

Inveni David servum meum : oleo sancto meo unxi eum.

Cum quo manus mea firma erit, et brachium meum roborabit eum.

Non decipiet inimicus eum, et filius iniquitatis non affliget eum.

Sed concidam ante faciem ejus hostes illius : et qui eum oderunt, [7] percutiam.

Veritas autem mea et misericordia mea cum eo, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus : et in fluminibus dexteram ejus.

Ipse invocabit me, pater meus es tu : Deus meus, et fortitudo salutis meæ.

Ego autem primogenitum [8] ponam eum, excelsum regibus terræ.

In [9] æternum custodiam ei misericordiam meam, et pactum meum fidele ei.

Et ponam perpetuum semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.

Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint.

Si cæremonias meas prophanaverint, et præcepta mea non custodierint.

Visitabo in virga [10] scelera eorum, et in plagis iniquitates eorum.

Misericordiam autem meam non auferam ab eo : nec mentiar in veritate mea.

Non violabo pactum meum, et quod egressum est de labiis meis, non mutabo.

Semel juravi in sancto meo, ne [11] David mentiar.

Semen ejus in [12] æternum erit, et thronus ejus sicut sol [13] in conspectu meo.

Sicut luna stabilietur in [14] æternum, et testis in [15] cœlo fidelis. SEMPER.

Tu autem repulisti et projecisti : iratus es adversùs Christum tuum.

Attenuasti pactum servi tui : prophanasti in terra diadema ejus.

[16] Dissipasti omnes [17] macerias ejus : posuisti munitiones ejus pavorem.

Diripuerunt eum omnes qui transeunt per viam, factus est opprobrium vicinis suis.

Elevasti dexteram hostium ejus : lætificasti omnes inimicos illius.

Nam et avertisti robur gladii ejus, et non sublevasti eum in prælio.

[18] Quiescere fecisti munditiam ejus, et thronum illius in terra detraxisti.

Abbreviasti dies adolescentiæ ejus : operuisti eum ignominia. SEMPER.

Usquequo Domine absconderis in finem ? succendetur quasi ignis indignatio tua ?

Memento mei de profundo : alioquin quare frustrà creasti filios hominum ?

Quis est vir qui vivat, et non videat mortem : salvans animam suam de manu inferi ? SEMPER.

Ubi sunt misericordiæ tuæ [19] antiquæ Domine, quas jurasti David in veritate tua ?

Recordare Domine opprobrii servorum tuorum, [20] portavi in sinu meo omnes iniquitates populorum.

Quibus exprobraverunt inimici tui Domine : quibus exprobraverunt vestigia Christi tui.

Benedictus Dominus in [21] sempiternum : amen et amen.

SALMO LXXXIX.

Domine habitaculum factus es nobis, in generatione et generatione.

Antequàm montes nascerentur, et parturiretur terra, et orbis : à sæculo, et usque in sæculum tu es Deus.

[22] Convertes hominem usque ad contri-

1 robustus — 2 super omnes, qui in circuitu ejus — 3 magnificas — 4 Tibi — 5 protectore nostro — 6 misericordibus — 7 fulminabo — 8 dabo — 9 sæculum — 10 scelus — 11 si — 12 sæculum — 13 coram me — 14 sæculum — 15 nube — 16 Disrupisti — 17 sepes — 18 Deficere — 19 priscæ — 20 quia — 21 sæculum — 22 Convertis

tionem, et [1] dices, revertimini filii Adam.

Quia mille anni in oculis tuis sicut dies hesterna quæ pertransiit, et vigilia nocturna.

Percutiente te eos somnium erunt ; manè quasi herba pertransiens.

Manè floruit et abiit : ad vesperam conteretur atque siccabitur.

Consumti enim sumus in furore tuo, et in indignatione tuâ conturbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras coram te : negligentias nostras in luce vultùs tui.

Omnes enim dies nostri transierunt in furore tuo : consumsimus annos nostros quasi sermonem loquens.

Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni : si autem multùm, octoginta anni et [2] quod ampliùs labor et dolor : quoniam transivimus citò et avolavimus.

Quis novit fortitudinem iræ tuæ? et secundùm timorem tuum indignationem tuam?

Ut numerentur dies nostri sic ostende, et veniemus corde sapienti

Revertere Domine : usquequò? et exorabilis esto super servos tuos.

[3] Imple nos matutinâ misericordiâ tuâ, et laudabimus et lætabimur in cunctis diebus nostris.

Lætifica nos [4] pro diebus quibus affixisti nos, et annis in quibus vidimus mala.

Appareat apud servos tuos opus tuum, et [5] gloria tua super filios eorum.

Et sit [6] decor Domini Dei nostri super nos, et opus manuum nostrarum fac stabile super nos : et opus manuum nostrarum confirma.

SALMO XC.

Qui habitat in abscondito excelsi : in umbraculo Domini commorabitur.

Dicens Domino, spes mea, et fortitudo mea : Deus meus confidam in eo.

Quia ipse liberabit te de laqueo venantium : de morte insidiarum.

In scapulis suis obumbrabit tibi, et sub alis ejus sperabis : [7] scutum et protectio veritas ejus.

Non timebis à timore nocturno : à sagitta volante per diem.

A peste in tenebris ambulante : à morsu [8] insidiantis meridie.

Cadent à latere tuo mille, et decem millia à dextris tuis : ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis [9] videbis, et [10] ultionem impiorum cernes.

Tu enim es Domine spes mea : excelsum posuisti habitaculum tuum.

Non accedet ad te malum, et lepra non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quia Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In [11] manibus portabunt te : ne fortè offendat ad lapidem pes tuus.

Super aspidem et basiliscum calcabis : conculcabis leonem et draconem.

Quoniam mihi adhæsit, et liberabo eum : exaltabo eum, quoniam cognovit nomen meum.

Invocabit me, et exaudiam eum, cum ipso ego in tribulatione : eruam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum [12] implebo eum, et ostendam illi salutare meum.

SALMO XCI

Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime.

Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, et fidem tuam [13] in nocte.

In decachordo et in psalterio, in [14] cantico, in cithara.

Quoniam lætificasti me Domiue in opere tuo : in facturis manuum tuarum laudabo.

Quàm magnificata sunt opera tua Domine : satis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget istud.

Germinaverunt impii quasi fœnum, et floruerunt omnes qui operantur iniquitatem, ut conterantur usque in sempiternum.

Tu autem excelsus in [15] æternum Domine.

Ecce inimici tui Domine, ecce inimici tui peribunt, et [16] dissipabuntur omnes qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur quasi monocerotis cornu meum, et senectus mea in oleo ubere.

Et respiciet oculus meus insidiantes mihi, de his qui consurgunt adversùm me malignantibus audiet auris mea.

1 dicis — 2 in potentatibus — 3 Satia — 4 secundùm dies — 5 decor tuus — 6 pulchritudo — 7 hasta — 8 insanientis, vel dæmonis meridiani — 9 conspicies — 10 expletionem — 11 palmis — 12 satiabo — 13 per noctem — 14 carmine — 15 sæculum — 16 dividentur

Justus ut palma florebit, ut cedrus in Libano multiplicabitur.

Transplantati in domo Domini : in atriis Dei nostri germinabunt.

Adhuc fructificabunt in senectute : pingues et frondentes erunt.

Annuntiantes quia rectus Dominus : fortitudo mea, et non est iniquitas in eo.

SALMO XCII.

Dominus regnavit, gloriâ indutus est :

Indutus est Dominus fortitudine, et accinctus est : insuper appendit orbem qui non commovebitur.

Firmum solium tuum ex tunc, à sæculo tu es.

Levaverunt flumina Domine, levaverunt flumina vocem suam :

Levaverunt flumina gurgites suos : à vocibus aquarum multarum.

Grandes fluctus maris : grandis in excelso Dominus.

Testimonia tua fidelia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitas, Domine in longitudine dierum.

SALMO XCIII.

Deus ultionum Domine : Deus ultionum ostendere.

Elevare judex terræ : redde vicissitudinem superbis.

Usquequo impii Domine? usquequo impii exsultabunt?

Fluent loquentes antiquum : garrient omnes qui operantur iniquitatem :

Populum tuum Domine conterent, et hereditatem tuam affligent.

Viduam et advenam interficient, et pupillos occident.

Et dixerunt : Non videbit Dominus, et non intelliget Deus Jacob.

Intelligite stulti in populo, et insipientes aliquando discite.

Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non [1] videbit?

Qui [2] erudit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam.

Dominus novit cogitationes hominum, quia vanæ sunt.

Beatus vir quem tu [3] erudieris Domine, et de lege tua docueris eum.

Ut quiescat à diebus afflictionis : donec fodiatur impio interitus.

Non enim derelinquet Dominus populum suum, et hereditatem suam non deseret.

Quoniam ad justitiam revertetur judicium, et sequentur illud omnes recti corde.

Quis stabit pro me adversùm malos? quis stabit pro me adversùs operarios iniquitatis?

Nisi quia Dominus auxiliator meus : paulominùs habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam, motus est pes meus : misericordia tua Domine sustentabit me.

In multitudine cogitationum mearum, quæ sunt in me intrinsecùs : consolationes tuæ delectabunt animam meam.

Numquid particeps erit tui thronus insidiarum, fingens dolorem in præcepto?

Copulabuntur adversùs animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt.

Erit autem Dominus mihi in refugium, et Deus meus quasi petra spei meæ.

Et restituet super eos [4] iniquitatem suam, et in malitia sua perdet eos : perdet eos Dominus Deus noster.

SALMO XCIV.

Venite laudemus Dominum : jubilemus [5] petræ Jesu nostro.

Præoccupemus vultum ejus in [6] actione gratiarum : in [7] canticis jubilemus ei.

Quoniam [8] fortis et magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos.

In cujus manu fundamenta terræ, et excelsa montium ipsius sunt.

Cujus est mare ; ipse enim fecit illud, et siccam manus ejus plasmaverunt.

Venite adoremus et curvemur : flectamus genua ante faciem Domini factoris nostri.

Quia ipse Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et [9] grex manûs ejus.

Hodie si vocem ejus audieritis : nolite obdurare corda vestra, sicut in contradictione : sicut in die tentationis in deserto.

Ubi tentaverunt me patres vestri : probaverunt me, et viderunt opus meum.

Quadraginta annis displicuit mihi generatio :

1 respiciet — 2 castigat — 3 castigaveris — 4 dolorem suum — 5 forti salutari — 6 confessione — 7 psalmis — 8 Deus — 9 oves

et dixi populus errans corde est, et non cognoscens vias meas.

Et juravi in furore meo, ut non introirent in requiem meam.

SALMO XCV.

Cantate Domino canticum novum : cantate Domino omnis terra.

Canite Domino, benedicite nomini ejus : annuntiate de die in diem salutare ejus.

Narrate in gentibus gloriam ejus : in universis populis mirabilia ejus.

Quia magnus Dominus, et laudabilis nimis : terribilis est super omnes deos.

Omnes enim dii populorum [1] sculptilia : Dominus autem cœlos fecit.

Gloria, et decor ante vultum ejus : fortitudo et exsultatio in sanctuario ejus.

Afferte Domino familiæ populorum : afferte Domino gloriam et fortitudinem.

Afferte Domino gloriam nomini ejus : levate munera, et introite in atria ejus.

Adorate Dominum in decore sanctuarii : paveat à facie ejus omnis terra.

Dicite in gentibus, Dominus regnavit ; siquidem appendet orbem immobilem : judicabit populos in æquitatibus.

Lætamini cœli et exsultet terra : tonet mare et plenitudo ejus.

Gaudeat ager meus et omnia quæ in eo sunt : tunc laudabunt universa ligna saltûs.

Ante faciem Domini quoniam venit, quoniam venit judicare terram :

Judicabit orbem in justitia, et populos in fide sua.

SALMO XCVI.

Dominus regnavit, exsultet terra : lætabuntur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus : justitia et judicium firmamentum solii ejus.

Ignis ante faciem ejus ibit, et exuret per circuitum hostes ejus.

[2] Apparuerunt fulgura ejus orbi : vidit, et contremuit terra.

Montes sicut cera tabefacti sunt à facie Domini : à facie dominatoris omnis terræ.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur universi qui serviunt sculptili, qui gloriantur in idolis.

Adorate eum omnes dii.

Audivit et lætata est Sion : et exsultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua Domine.

Tu enim Dominus excelsus super omnem terram : vehementer elevatus est super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum ; custodit animas [3] sanctorum suorum, de manu impiorum eruet eos.

Lux [4] orta est justo, et rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino, et confitemini memoriæ sanctæ ejus.

SALMO XCVII.

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum : [5] in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israël, viderunt omnes fines terræ, salutare Dei nostri. ✠

Jubilate Domino omnis terra : vociferamini, et laudate, et [6] canite.

[7] Canite Domino in cithara : in cithara et voce [8] carminis.

In tubis et clangore buccinæ : jubilate coram rege Domino.

Tonet mare et plenitudo ejus : orbis et habitatores ejus.

Flumina plaudent [9] manu : simul montes laudabunt.

Ante Dominum, quia venit judicare terram : judicabit orbem in justitia, et populos in æquitatibus.

1 idola : — 2 illuxerunt — 3 misericordium — 4 seminata — 5 in oculis — 6 psallite — 7 Psallite — 8 psalmi. — 9 palma

SALMO XCVIII.

Dominus regnavit, commoveantur populi : sessor cherubim concutiatur terra.

Dominus in Sion magnus, et excelsus est super omnes populos.

Confiteantur nomini tuo [1] magno, et terribili sanctoque : et imperium regis judicium diligit :

Tu fundasti æquitates : judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus : quia sanctus est.

Moses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel in his qui invocant nomen ejus :

Invocabant Dominum, et ipse exaudivit eos : in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodierunt testimonia ejus, et præceptum quod dedit eis.

Domine Deus noster tu exaudisti eos : Domine propitius fuisti eis, et ultor super [2] commutationibus eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus : quia sanctus Dominus Deus noster.

SALMO XCIX.

Jubilate Deo omnis terra. Servite Domino in lætitia.

Ingredimini coram eo in laude : scitote quoniam Dominus ipse est Deus.

Ipse fecit nos ; et ipsius sumus populus ejus, et [3] grex pascuæ ejus.

Ingredimini portas ejus [4] in gratiarum actione, atria ejus in laude :

Confitemini ei, benedicite nomini ejus : Quia bonus Dominus ;

In [5] sempiternum misericordia ejus, et usque ad generationem et generationem fides ejus.

SALMO C.

Misericordiam, et judicium cantabo : tibi Domine psallam.

Erudiar in via perfecta quando venies ad me :

Ambulabo in simplicitate cordis mei in medio domûs meæ.

Non ponam coram oculis meis verbum [6] Belial, facientem declinationes odivi ; nec adhæsit mihi.

Cor pravum recedet à me : malum nesciam.

[7] Loquentem in abscondito contra [8] proximum suum, hunc interficiam :

Superbum oculis et altum corde ; cum hoc esse non poteram.

Oculi mei ad fideles terræ ; ut habitent mecum, ambulans in via simpliciter, hic ministrabit mihi.

Non habitabit in medio domûs meæ faciens dolum, loquens mendacium, non placebit in conspectu oculorum meorum.

Manè perdam omnes impios terræ, ut interficiam de civitate Domini universos qui operantur iniquitatem.

SALMO CI.

Domine audi orationem meam, et [9] clamor meus ad te veniat.

Ne abscondas faciem tuam à me : in die tribulationis meæ inclina ad me aurem tuam :

In quaquumque die invocavero, [10] velociter exaudi me.

Quoniam consumti sunt sicut fumus dies mei, et ossa mea quasi frixa contabuerunt.

Percussum est quasi fœnum, et arefactum est cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitûs mei adhæsit os meum carni meæ.

Assimilatus sum pellicano deserti : factus sum quasi bubo solitudinum.

Vigilavi, et fui sicut avis solitaria super tectum.

Totâ die exprobrabant mihi inimici mei : [11] exsultantes per me jurabant.

Quia cinerem sicut panem comedi, et potum meum cum fletu miscui.

A facie indignationis tuæ, et iræ tuæ : quia levasti me et allisisti me.

Dies mei [12] quasi umbra inclinati sunt, et ego quasi fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes, et

1 magne et terribilis, sanctum nomen ejus ; et fortitudo — 2 adinventionibus — 3 oves — 4 in confessione — 5 sæculum — 6 diaboli — 7 Detrahentem — 8 sodalem suum — 9 deprecatio mea — 10 festina — 11 insultantes mihi — 12 sicut umbra inclinata

memoriale tuum in generatione et generatione.

Tu [1] suscitans misereberis Sion: quia tempus ut miserearis ejus, quoniam venit [2] tempus.

Quoniam placitos fecerunt servi tui lapides ejus, et pulverem ejus miserabilem.

Et timebunt gentes nomen Domini, et universi reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion: apparuit in gloria sua.

Respexit ad orationem [3] vacui, et non despexit orationem eorum.

Scribatur hoc in generatione novissima, et populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quoniam prospexit de excelso sanctuario suo: Dominus de cœlo terram contemplatus est.

Ut audiret gemitum vincti, ut solveret filios mortis.

Ut narretur in Sion nomen Domini, et laudatio ejus in Jerusalem.

Quum congregati fuerint populi simul, et regna ut serviant Domino.

Afflixit in via fortitudinem meam: abbreviavit dies meos.

Dicam Deus meus, ne rapias me in medio dierum meorum: in generatione generationum anni tui.

A principio terram fundasti, et opus manuum tuarum cœli.

Ipsi peribunt, tu autem stabis, et omnes quasi vestimentum atterentur: quasi [4] pallium mutabis eos, et mutabuntur.

Tu autem ipse, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum ante faciem tuam [5] perseverabit.

SALMO CII.

Benedic anima mea Domino, et omnia viscera mea nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnium retributionum ejus.

Qui propitiatur cunctis iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de corruptione vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui [6] replet bonis ornamentum tuum: innovabitur sicut aquilæ juventus tua.

Faciens justitias Dominus, et judicia cunctis qui calumniam sustinent.

Notas fecit vias suas Mosi: filiis Israël [7] cogitationes suas.

Misericors et clemens Dominus: [8] patiens et multæ miserationis.

Non in sempiternum [9] judicabit: neque in [10] æternum irascetur.

Non secundùm peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.

Quantùm enim excelsius est cœlum terrâ: tantùm confortata est misericordia ejus super timentes eum.

Quantùm longè est oriens ab occidente: tantùm longè fecit à nobis scelera nostra.

Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.

Ipse enim novit [11] plasmationem nostram: recordatus est quia pulvis sumus.

Homo quasi herba dies ejus: sicut flos agri sic florebit.

Quia spiritus pertransiit eum, et non subsistet: et non cognoscet eum ultrà locus ejus.

Misericordia autem Domini ab [12] æterno, et usque in [13] æternum super timentes eum: et justitia ejus in filios filiorum.

His qui custodiunt pactum ejus, et recordantur præceptorum ejus ad faciendum ea.

Dominus in cœlo stabilivit thronum suum, et regnum illius omnium dominatur.

Benedicite Domino Angeli ejus, fortes robore, facientes verbum ejus: obedientes voci sermonis ejus.

Benedicite Domino omnes exercitus ejus, ministri ejus qui facitis placitum illius.

Benedicite Domino universa opera ejus in omnibus locis potestatis ejus: benedic anima mea Domino.

SALMO CIII.

Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es nimis.

Gloriâ et decore indutus es: amictus luce quasi vestimento:

Extendens cœlos ut pellem. Qui [14] tegis aquis cœnacula ejus.

Qui [15] ponis nubes currum suum: qui [16] ambulas super pennas venti.

Qui [17] facis Angelos tuos spiritus: ministros [18] tuos ignem urentem.

Qui [19] fundasti terram super bases suas: [20] non commovebitur in sæculum et [21] in sæculum.

1 surgens — 2 condictum — 3 effossi — 4 vestimentum — 5 dirigetur — 6 satiat — 7 adinventiones — 8 tardu ad furorem — 9 litigabit — 10 in sæculum perseverabit — 11 cogitationem — 12 à sæculo — 13 in sæculum — 14 texit — 15 posuit — 16 ambulat — 17 facit Angelos suos — 18 suos — 19 fundavit — 20 ut non commoveatur — 21 et ultrà

Abysso quasi vestimento operuisti eam: super montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.

Ascendent montes et descendent campi, ad locum quem fundasti eis.

Terminum posuisti quem non pertransibunt: nec revertentur ut operiant terram.

Qui emittis fontes in convallibus, ut inter medios montes ambulent.

Ut bibant omnia animalia regionum, et reficiant onagri sitim suam.

Super ea volucres cœli morabuntur: de medio nemorum dabunt vocem.

Qui irrigas montes de cœnaculis tuis: de fructu operum tuorum [1] implebitur terra.

Germinans herbam jumentis, et fœnum servituti hominum;

Ut educat panem de terra: et vinum lætificet cor hominis.

Ad exhilarandam faciem [2] in oleo: panis autem cor hominis roborat.

Saturabuntur ligna Domini: cedri Libani quas plantavit.

Ibi aves nidificabunt, milvo abies domùs ejus.

Montes excelsi cervis: petra refugium [3] hericiis.

Fecit lunam per tempora: sol cognovit cubitum suum.

Posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa [4] moventur omnes bestiæ sylvæ.

Leones rugientes ad prædam, et quærentes à Deo escam sibi.

Oriente sole recedent, et in [5] speluncis suis cubabunt.

Egredietur homo ad opus suum, et ad servitutem suam usque ad vesperum.

Quàm multa sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tuâ.

Hoc mare magnum et latum manibus, ibi reptilia innumerabilia: animalia parva cum grandibus.

Ibi naves pertranseunt: leviathan istum plasmasti ut [6] illuderet ei.

Omnia in te sperant, ut des cibum in eis in tempore suo.

Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam [7] replebuntur bono.

Abscondes vultum tuum, turbabuntur, auferes spiritum eorum, deficient, et in pulverem suum revertentur.

Emittes spiritum tuum et creabuntur, et instaurabis faciem terræ.

Sit gloria Domini in [8] sempiternum: lætabitur Dominus in operibus suis.

Qui respicit terram et tremet: tangit montes et fumabunt.

Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum.

Placeat ei eloquium meum: ego lætabor in Domino.

Deficiant peccatores de terra, et impii ultrà non sint: benedic anima mea Domino. Alleluia.

SALMO CIV.

Confitemini Domino, invocate nomen ejus: notas facite populis [9] cogitationes ejus.

Cantate ei, et psallite illi: loquimini [10] in universis mirabilibus ejus.

[11] Exsultate in nomine sancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum.

Quærite Dominum et virtutem ejus: quærite faciem ejus jugiter.

Recordamini mirabilium ejus quæ fecit: [12] signorum et judiciorum oris ejus.

Semen Abraham servi ejus: filii Jacob electi ejus.

Ipse Dominus Deus noster: in universa terra judicia ejus.

Recordatus est in [13] æternum pacti sui: [14] verbi quod præcepit in mille generationes.

Quod pepigit cum Abraham, et juramenti sui cum Isaac.

Et [15] firmavit illud Jacob in [16] lege: Israël in pactum sempiternum.

Dicens, Tibi dabo terram Chanaan: funiculum hæreditatis vestræ.

Quum essent viri pauci, modici et advenæ in ea.

Et [17] transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum.

Non dimisit hominem ut [18] noceret eis, et corripuit pro eis reges.

Nolite tangere christos meos, et prophetas meos nolite affligere.

Et vocavit famem super terram: omnem [19] virgam panis contrivit.

Misit ante faciem eorum virum: in servum venundatus est Joseph.

Afflixerunt in compede pedes ejus: in ferrum venit anima ejus.

Usque ad tempus donec veniret sermo ejus: eloquium Domini probavit eum.

Misit [20] rex et solvit eum: [21] princeps populorum et [22] dimisit illum.

1 satiabitur — 2 super — 3 herinaciis — 4 repunt — 5 cubilibus — 6 ut luderes in eo — 7 saturabuntur — 8 in sæculum — 9 adinventiones — 10 universa mirabilia ejus — 11 Laudamini — 12 prodigiorum — 13 sæculum — 14 verbum præcepit — 15 statuit — 16 in præceptum — 17 ambulaverunt — 18 calumniaretur — 19 baculum — 20 regem — 21 dominatorem — 22 solvit

Posuit eum [1] dominum domûs suæ, et [2] principem in omni possessione sua.

[3] Ut erudiret principes ejus secundùm voluntatem suam, et senes ejus sapientiam doceret.

Et ingressus est Israël Ægyptum, et Jacob advena fuit in terra Cham.

Et crescere fecit populum suum nimis, et roboravit eum super hostes ejus.

Convertit cor eorum ut odio haberent populum ejus, ut dolosè agerent contra servos illius.

Misit Mosen servum suum : Aaron quem elegit sibi.

Posuit in eis verba signorum suorum, et portentorum in terra Cham.

Misit tenebras et contenebravit, et non fuerunt increduli verbis ejus.

Commutavit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum.

Ebullivit terra eorum ranas : in cubilibus regum eorum.

Dixit, et venit musca omnimoda : [4] scinifes in universis terminis eorum.

Dedit pluvias eorum grandinem : ignem flammantem in terra eorum.

Et percussit vineam eorum, et ficum eorum : et confregit lignum finium eorum.

Dixit, et venit locusta, et bruchus cujus non erat numerus.

Et comedit omne fœnum terræ eorum, et devoravit fructum terræ eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra eorum : primitias universi [5] partûs eorum.

Et eduxit eos cum argento et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus.

Lætata est Ægyptus quum egrederentur : quoniam irruerat terror eorum super eos.

Expandit nubem in tentorium, et ignem ut luceret nocte.

Petierunt et adduxit [6] ortygometram, et pane cœlesti saturavit eos.

Aperuit petram et fluxerunt aquæ : cucurrerunt in aridis flumina.

Quia recordatus est verbi sancti sui : cum Abraham servo suo.

Et eduxit populum suum [7] in lætitia : [8] in laude electos suos.

Et dedit eis terras gentium, et laborem [9] tribuum possederunt.

Ut custodirent ceremonias ejus, et leges ejus servarent. Alleluia.

SALMO CV.

Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in [10] æternum misericordia ejus.

Quis loquetur fortitudines Domini : auditas faciet omnes laudes ejus?

Beati qui custodiunt judicium, faciunt justitiam in omni tempore.

Recordare mei Domine in repropitiatione populi tui : visita me in salutari tuo.

Ut videam bona electorum tuorum, et læter in lætitia gentis tuæ : et exsultem cum hereditate tua.

Peccavimus cum patribus nostris : iniquè fecimus, impiè egimus.

Patres nostri in Ægypto non [11] intellexerunt mirabilia tua : non sunt recordati multitudinis misericordiæ tuæ.

Et ad iracundiam provocaverunt super mare in mari Rubro : salvavit autem eos propter nomen suum, ut ostenderet fortitudinem suam.

Et comminatus est mari Rubro, et aruit : et transduxit eos per abyssos quasi in deserto.

Et salvavit eos de manu odientis, et redemit eos de manu inimici.

Et operuerunt aquæ hostes eorum : unus de ipsis non superfuit.

Et crediderunt verbis ejus, cecineruntque laudem ejus.

[12] Citò obliti sunt operum illius : nec exspectaverunt [13] voluntatem ejus.

Et desideraverunt desiderium in deserto, et tentaverunt Deum in solitudine.

Dedit eis petitionem ipsorum, et misit tenuitatem in animam eorum.

Et zelati sunt Mosen in castris : Aaron sanctum Domini.

Aperta est terra, et devoravit Dathan, et operuit synagogam Abyram.

Et succensus est ignis in synagoga eorum : flamma exussit [14] impios.

Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt conflatile.

Et mutaverunt gloriam suam, in similitudinem bovis comedentis fœnum.

Obliti sunt Dei salvatoris sui : qui fecit magnalia in Ægypto.

Mirabilia in terra Cham : terribilia super mare Rubrum.

Dixit ergò ut [15] contereret eos : nisi Moses electus ejus stetisset medius contra faciem illius, ut converteret indignationem ejus, et non interficeret.

Et despexerunt terram desiderabilem : nec crediderunt sermoni ejus.

1 dominatorem — 2 dominatorem — 3 castigaret — 4 pediculi — 5 doloris — 6 coturnicem — 7 cum gaudio — 8 laudantes — 9 plebium — 10 sæculum — 11 sunt eruditi mirabilibus tuis — 12 Festinatò — 13 consilium — 14 montes — 15 disperderet

Et murmuraverunt in tabernaculis suis : non audierunt vocem Domini.

Et elevavit manum suam super eos, ut dejiceret eos in deserto.

Et ut dejiceret semen eorum in gentibus, et dispergeret eos in terris.

Et consecrati sunt Beel-Phegor, et comederunt victimas mortuorum.

Et concitaverunt in studiis suis, et percussit eos plagâ.

Stetit autem Phinees, et [1] dijudicavit : et est retenta percussio.

Et reputatum est ei in justitiam : in generatione et generationem usque in [2] æternum.

Et provocaverunt super aquam contradictionis, et afflictus est Moses propter eos.

Quia provocaverunt spiritum ejus, et [3] præcepit in labiis suis.

Non exterminaverunt populos : quos dixit Dominus eis.

Et commixti sunt gentibus, et didicerunt opera eorum.

Et servierunt [4] sculptilibus eorum, et factum est eis in scandalum.

Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmonibus.

Et effuderunt sanguinem innocentem : sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quos immolaverunt [5] sculptilibus Chanaan :

Et [6] polluta est terra sanguinibus : et coinquinati sunt in operibus suis, et fornicati sunt in [7] studiis suis.

Iratus est itaque furor Domini in populum suum, et abominatus est hereditatem suam.

Et dedit eos in manu gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

Et afflixerunt eos inimici sui, et humiliati sunt sub manu eorum.

Multis vicibus liberavit eos : ipsi verò provocabant in consiliis suis, et humiliati sunt propter iniquitatem suam.

Et vidit tribulationem eorum : quum audiret eos rogantes.

Et recordatus est pacti sui cum eis : et pœnituit secundùm multitudinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos mirabiles : coram omnibus qui ceperant eos.

Salva nos Domine Deus noster, et congrega nos de gentibus :

Ut confiteamur nomini sancto tuo : et canamus [8] laudantes te.

Benedictus Dominus Deus Israël [9] ab æterno, et usque in æternum : et dicet omnis populus, Amen. Alleluia.

SALMO CVI.

Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in [10] æternum misericordia ejus.

Dicant redempti à Domino : quos redemit de manu hostis.

Et de terris congregavit eos, ab oriente et occidente : ab aquilone et mari.

Erraverunt in solitudine, in deserta via : civitatem quæ habitaretur non repererunt.

Esurientes et sitientes : anima eorum in ipsis deficiebat.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua de [11] afflictione eorum eripuit eos.

Et duxit illos per viam rectam, ut venirent in civitatem habitabilem.

Confiteantur Domino [12] misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Quia saturavit animam vacuam, et animam esurientem implevit bonis.

Habitantes in tenebris et umbra mortis : alligatos inopiâ et ferro.

Quia provocaverunt sermones Dei, et consilium Excelsi blasphemaverunt.

Et humiliavit in labore cor eorum : corruerunt, et non erat qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua, de angustiis eorum salvavit eos.

Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit.

Confiteantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Quia contrivit [13] portas æreas, et vectes ferreos confregit.

Stultos [14] propter viam sceleris eorum, et [15] propter iniquitates afflictos.

Omnem cibum abominata est anima eorum, et accesserunt ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua : de angustiis eorum salvavit eos.

Misit verbum suum, et sanavit eos : et salvavit de interitu eorum.

Confiteantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Et immolent hostias [16] gratiarum, et narrent opera ejus in laude.

Qui descendunt [17] mare in navibus, facientes opus in aquis multis.

Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.

Dixit et [18] surrexit ventus tempestatis, et elevavit gurgites ejus.

1 exoravit — 2 sæculum — 3 protulit — 4 idolis — 5 idolis — 6 contaminata — 7 adinventionibus — 8 in laude tua — 9 à sæculo, et usque in sæculum — 10 sæculum — 11 angustiis — 12 misericordias — 13 ostia ærea — 14 de via — 15 de iniquitatibus suis — 16 confessionum — 17 in mare navibus — 18 statuit